Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2343
Quelle:
Copyright:

jor est in lectione diversitas, cujus specimen si: In Prooemio: *vim haberent* pro *vim habuerint*, *additiones nostras juvando* pro *editiones nostras innovando*, *hoc tantum libello* pro *hoc tamen libello*. In Decreto I. *exquisitissimam* pro *exquisitam*. In Decreto II. *hujus sacri Concilii* pro *hujusmodi sacri Concilii*, *effectum gratie confert* pro *effectum confert*. In Decreto III. *inviolabiliter custodiri* pro *inviolabiliter observari*, *et honoris eorum; post presentem enim* pro *et honoris. Post præsentem* &c. quorum quaedam manifeste vulgari lectioni praeferenda sunt.

Ad horum Statutorum calcem ejusdem Sec. manu adscripta sunt Alia coacervata, quorum hic ingressus: *In nomine domini amen. Cum statuta sanctorum patrum et pia monita sint digne in omnibus memoriter retinenda et opere complenda. tamen in conuentibus synodalibus propter thepidos et minus in obseruantijs mandatorum feruentes sunt frequentius repetenda. ideo primo et principialiter monemus. et per excommunicatonis sententiam diu latam mandamus, quatenus omnes a manifesta cohabitacione sibi caueant et infra XIV. dies domos suas a focarijs* (Ancillis) *expurgent et emundent.* &c. Ita deinceps de decenti Ecclesiarum habitu et Sacrorum celebratione, de vitandis Clero Tabernis et lusu, de Simonia, de accessu Synodorum &c. proposita etiam, quod displicet, mulcta mediae Marcae argenti, et unius *Fertonis* (vide *Ducangii* Glossar.) praecipitur. Emanasse e quadam Synodo, seu Capitulo Archidiaconali, et quidem in *Bohemia* haec Decreta e sequente conjicio: *Item cum merito matrem nostram ecclesiam pragensem imitari in officio diuino debeamus. Volumus et mandamus. ut de cetero Venite in domibus circa defunctum in vigilijs non cantetur.* Imo Archidiaconatus iste diserte indicatur deinceps in his: *Volumus — ut plebani siue rectores ecclesiarum archidyaconatus pragensis* &c. Certiora fortasse dedisset horum Statutorum exitus, sed imperfecta destituit Librarius destitutus ipse a membrana.

DCCCCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 64. 4. eleganter scriptus, rubricis distinctus, et prius *Monasterii*, ut praefert, *B. V. M. in Gärsten* O. S. B. quod in *Austria* super. fuit, exhibet Exemplar *Statutorum Synodalium Arnesti* Archiep. *Pragensis*. Impressa sunt haec *Statuta* primum *in Noua Plzna* 1476. quae Editio rarissima in Bibliotheca Univ. *Pragenae* visitur, tum a. 1606. *Pragae* curante celebri *G. Bartholdo Pontano a Braitenbach*, unde ea *Harzhemius* in T. IV. *Concill. Germ.* p. 381. repraesentavit addita lectionis varietate, ultra quam nihil in Textu nostro occurrere putem. Sed lapsus est in anno celebratae Synodi *Harzhemius*, R. 3286